



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

16. Heroica feminarum, in adulterijs repellendis, fortitudo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

Franciscus Sforcia Mediolanensis, Florentini populi copiarum dux, Casanovam oppidum vi ceperat. Quidam milites insigni forma puellam captivam ducebant clamantem, ut ad primum ducentem deduceretur. Ad eum perducta, interrogante Francisco Sforcia, Quamobrem ad se venire cupisset, respondit, Ut eius voluntati obsequeretur, modo incolumis à militum iniuria servaretur. Franciscus amanti, uti videbatur, paruit: cumq; noctu eam complecti vellet, puella lachrymarum plena, per virginem Dei Matrem, cuius imaginem lecto, de more affixam Franciscus, singulari veneratione, colebat; item per famam, qua de ipsius bonitate, apud omnes, erat, rogavit, ne se castitatis honore priuaret; sed marito intactam potius restitueret, qui cum alijs captivis in vinculis custodiebatur. Franciscus pudicitia eius conspecto studio, statim lecto prosiliit: maneq; accersito ad se viro, eam publicè restituit, adiurans, nihil cum ea sibi rei fuisse. Hoc ipso patris Sfortia præceptum, de alterius nupta non attingenda, secutus. Absterrerent multæ multos, si ad preces confugere vellent. Sed celebrem reddunt hanc feminam feminæ, quæ contrarium potius precarentur; sicut Pontiam Romanam, quam nullis verborum lenocinijs aut pollicitationibus, ad adulterium cum Octavio tribuno plebis committendum, impelli potuisse, quin ab eodem interfici maluisse, memorat Tacitus. Aliæ mirando potius, quàm imitando exemplo, non iam violatæ, ad modum Lucretiæ Romanæ; sed ne violarentur, sibi met violentas manus admouerunt. Eusebius & Pomponius Lætus nobilissimam pariter atque castissimam feminam referunt, cum Maxentius Tyrannus eius amore captus, ad eam sibi adducendam magistros libidinis misisset, varia effugia quæ fuisset; post omnia, mariti operam imploravisset. Quia quia, metu mortis, vetare non potuit, ne abduceretur, petijt illa paucillum, ad se ornandam tempus, & impetrauit. Ingressa igitur cubiculum, quasi vestem mutatura, impresso sibi cultro, vitam cum morte commutavit. Moræ pertasi satellites, perfracto aditu, irruperunt. Nihil reperere, nisi cadaver, non noua veste ornatum, sed noua castimoniam seruandi ratione celebratum. Quin & de Ethnicis quoque feminis similia exempla leguntur. Inter quas Mallonia Romana fuit. Ea

Ddd 2

quippe,

XVI.
Fulgosus l. 4.
cap. 3.

Euseb. lib. 8.
hist. Eccl.
cap. 16. Pom-
pon. in com-
pendio Rom.
hist.

quippe, teste Suetonio, ad Tiberium libidinosissimum senem, perducta, nequaquam compelli potuit, ut obscœnis illius votis obsequeretur. Ex templo itaque amor in odium degeneravit. Nam Tiberius eam delatoribus obiecit. Quanquam ne ream quidem interpellare desinebat, identidem interrogari imperans: *Ecquid pœniteret?* Illa ergo, pro tuenda pudicitia, iudicio relicto, domum profugit, ferroque Lucretianum pectus transegit. Non laudo eadem, quæ, seclusa potestate à Deo vitæ authore & domino facta, illicita est; suspicio tamen tantæ constantæ castitatis tuendæ voluntatem. Quæ in femina tantò est rarior, quantò femina viro est imbecillior. Ad quas laudes pertinet Engltradis de Bilico, nobilis Rauennas, quæ, cum à patre suo Ottoni Imperatori, in templo, audisset dici, quænam esset illa puella, quæ ei haud parum placeret; posse illi osculum pangere, erexit se, de genibus in pedes, & stans rubore perfusa dixit: *Ne, mi Pater, promittas cuiquam, quod non est in potestate tua. Equidem prius, quàm ab alio viro, nisi futuro marito, me tractari permittam, hoc cultro (& simul eum eduxit) pectus meum perfodiam.* Quod tam generosum dictum sic Imperatori probatum est, ut illi virum insignem Guidonem, cum ampla dote, è Palatinis dederit. Usque adeò probis mulieribus pudicitia charior est, quàm vita.

Gregor.
Horst. pag.
366. ex Bapt.
Fulgoso.

XVII.
Ludouic. Vi-
ues de Chri-
stian. fem. l. 2.

Plutarch in
Apophtheg.
Lacedæm.

Quare etiam ipsos maritos mortem pati malle, quàm rivalem, Mediolanensis quædam matrona docuit; quæ cum Marfidium maritum suum tenerrimè diligeret, & amator rem ab ea turpem contenderet, idq; per vitam & salutem Marfidij: *Atqui Marfidius (inquit illa) mallet centies mori, quàm id semel à me committi. Quod verò per salutem illius à me requiris, ob ipso eodem petito.* Consimile propemodum dedit responsum, apud Plutarchum, Lacæna, quam quidam de stupro, per internuncium, appellauit. Nam illa sic respondit: *Puella cum essem, patri dicto audiens esse, idq; feci: postquam nups, viro. Si ergo aqua à me postulat, huic primum id aperiat.* Honestissimæ indolis est, si femina, in periculis, ad maritos recurrant, & illis apertos pudicitia insidiatores obijciant repellendos. Quanquam prudentis est, non quacunque suspicione, maritum in alios irritare. Cre-
dula